



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

4. Vtrūm valida sint matrimonia Catholicorum cum hæreticis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

ARTICULUS IV.

*Virum valida sint matrimonia Catholi-
corum cum hæreticis?*

Certeum est quod in talibus matrimonii non interveniat impedimentum disparis cultus, quod tantum locum habet in baptizatis cum non baptizatis. Inquirendum ergo est an aliquando prohibitio aliqua sit obstans validitati matrimonii, quidquid sit utrum licet contrahatur? de quo infra.

Quod talia matrimonia non sint valida,

Arg. 1. Quia eadem rationes quæ militant contra matrimonium Catholicorum cum infidelibus, seu non Baptizatis, militant etiam quando sit cum hæreticis; præcipue ob periculum perversio[n]is & conjugis, & prolium; ergo eodem modo talia matrimonia censeri debent invalida.

2. In sextâ Synodo Generali can. 72. expressè decernitur: Non licere Orthodoxum eum hæreticâ conjungi, nec Orthodoxam cum hæretico, sed & si quid ejusmodi factum appuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium conjugium dissolvi.

In aliis etiam pluribus Conciliis tale matrimonium interdicitur.

Affirmativa tamen sententia est omnino certa, videlicet quod talia matrimonia sint valida.

Pr. 1. Quia nullum est decretum Ecclesiæ talia matrimonia irritans aut annullans, ut ad

2. patebit.

2. In cap. *Decrevit*, de hæreticis in 6. Innocentius IV. decernit quod propter hæresim maritorum, dotes uxorum Catholicarum non debeant confiscari, nisi forte mulieres ante scivissent illos esse hæreticos. Si autem non fuissent valida, non tantum dotes confiscari, sed separari ab invicem deberent.

3. Ex continua praxi Ecclesiæ quæ talia matrimonia habet ut valida, licet non approber ut licita.

Ad 1. fundamentum oppositum Resp. ex S. Th. in 4. dist. 39. q. 1. ad 8. *Matrimonium Sacramentum est*, & ideo quantum pertinet ad necessitatem Sacramenti requirit paritatem, quantum ad Sacramentum fidei scilicet Baptismum, magis quam quantum ad interiorum fidem, unde etiam hoc impedimentum non dicitur disparitas fidei, sed disparitas cultus, qui respicit exterius servitium, &c.

Unde apparet magna disparitas: periculum autem perversio[n]is & malæ educationis prolis, arguit quidem quod sit illicium nisi illi malo provideatur, non vero quod sit invalidum. Præterquam quod infideles non Baptizati sint obstinatores in suo errore.

Ad 2. Resp. Canones istius Concilii non ad-

T 6
mitti

438 TRACTATUS XIII.

mitti ab Ecclesiâ, ut ostendit Baron, anno 692.
unde olim Synodus illa erratica dicebatur.
Quia Canones illi sunt editi apud Trullum in
palatio regio ab Episcopis quibusdam illegi-
timè congregatis. Ideo etiam à Sergio Papa
istud Conciliabulum condemnatum fuit, &
omnes Canones rejecti. Videatur Baronius &
Spondanus ad illum annum.

Dato tamen Canones illius Synodi postea
esse receptos, ut quidam videntur tenere, &
latè dedit Pontius ubi sup. in Append.
(quod non est hujus loci indagare) Respon-
deri equidem potest, quod dato quod aliquan-
do talia matrimonia fuerint irrita, hoc tamen
postea vel contrariâ consuetudine, vel contra-
riis legibus fuit mutatum. De quo videri po-
test noster Loth tract. 13. a. 1. Nec in hac se
amplius dubitari potest.

ARTICULUS V.

*Vtrum licita sint Matrimonia Catholico-
rum cum hereticis?*

Quām certum est quod talia matrimonia
sint valida, tam certum est quod sint il-
licita, & mortaliter peccant qui sic contrahunt.
De hoc latè & efficaciter agit Franciscus Dus-
seldorfius in tractatu quem scripsit de mari-

monio